



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini Carmina Selecta

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Martyr Vindicatus Seu. Thomas De S. Victore, Ob Defensionem
Immunitatum Ecclesiae à Theobaldo Archidiacono Parisiensi crudeliter
peremptus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13401



MARTYR
VINDICATUS

SEU.

THOMAS
DE S. VICTORE,

OB DEFENSIONEM IMMUNITATUM
*Ecclesiæ à Theobaldo Archidiacono Parisiensi
crudeliter peremptus.*



UO ruitis miseri? quæ cædis tanta libido?
Quo vos præcipites, quo vos rapit impius
ardor?

Pro CHRISTI imperio, pro Religione tuenda,
Ingens occumbit gladiis immitibus Heros,
Quem THOMAM dixêre, insigni nomine THOMAM.
Hic Victorinæ non impar matris alumnus,

E ij

Quippe tuebatur leges, & sancta ferebat
 Jura poli, non ille minas, nec dira timebat
 Supplicia, immenso Superiorum accensus amore;
 Vir sine labe, expers sceleris, parvæque beatus
 Sorte, Deo totus tranquilla mente vacabat:
 Nam non divitias, non affectabat honores,
 Sed voti exiguus, pateat quo tramite cœlum
 Monstrabat, lapsos revocans in pristina mores.
 Se se attollentem Parisina per oppida famam,
 Ardoremq; animi immensum haud potuere tyranni
 Deprimere, adversis firmo stat pectore rebus.
 Noverat interpres cœli, quid jura vetarent,
 Quid finerent, quantum divina Oracula pondus,
 Quid decreta Patrum, quid prisca exempla docerent.
 Nec minus insidias Theobaldi immitis, & artes
 Noverat: hic meditans CHRISTI subvertere legem,
 Turpem prædæ animum sacro de munere nactus,
 Illicitos quæstus, & lucra indebita poscit.
 En nova, ut immensum (quid cogis cæca libido?)
 Argenti accipiat pondus, crescâtque potestas,
 Immuni populo jam vectigalia figit.
 Motivæ extorquentur opes, appensâque dona
 Jam sacris non tuta locis, spoliantur & aræ
 Numine contempto prius, (& tua fulmina cessant

S. Bern.

Ep. 158

159.

Summe Deus!) rapitur templi decus omne, metallū
 Quod prius ornabant spirantes arte figuræ,
 Nunc cadit in molem, & sine nomine fufilis auri
 Congeries, avidi votum raptoris adimplet.
 Stat contra infractus facris pro legibus Heros;
 Explorat prædõnum animos, secretaque corda;
 Infanámque auri rabiem. Quot bella ciebunt,
 Quas clades, stragesque? suo sed munere fultus
 Ibit in aduersos, ibit securior hostes.
 Inensum cœlum omne monet: si detonet, inquit,
 In tantum facinus, cervices franget iniquas,
 Et longa in seros descendet pœna nepotes.
 Incafsùm cecidère minæ: furit acriùs hostis,
 Et conjuratam spirat gens impia mortem;
 Undique stant structæ infidiæ. Se destinat aris
 Interea pugil & CHRISTI se robore vestit,
 Ut CHRISTO melius cadat imperterritus Heros.
 Jam necis impatiens nudos properabat in enses;
 In leges crescebat amor, sempérque suorum,
 Obnixus contrà, jura illibata tenebat,
 Sperabátque mori, propriis pia victima votis:
 Nam quid ego, dixit, post crimina tanta superstes?
 Contemptæ leges, foedatâque jura tyrannis,
 Et Divûm violatus honos, calcatâque Sacra:
 E. iij

Quin Deus everfis spretus procul exulat aris,
 Si tamen ô! possent defendi sanguine leges,
 Legibus hunc totum (fœlix jactura!) cruorem,
 Et qualemcumque optarem hanc impendere vitam,
 Sed fortasse alium (hunc oculis Deus aspicit æquis)
 Ultorem inveniet, qui sacro numine plenus,
 Antiquos ritus, monumenta antiqua priorum
 Restituat, nova subvertens, & jura revellet
 Inconcessa; suos & legibus addet honores.
 Impetet hunc furiosa cohors, sed nescia flecti
 Virtus, adversæ se contrâ opponere moli
 Audebit sola, & rebus se major in arctis,
 Exeret assurgens per mille pericula Virtus;
 Prædônum primùm infidias vitabit, & artes,
 Ridebitque minas; non verbera dira, neque ictus,
 Atque inconcussam non frangent præmia mentem.
 Felix quem talis manet exitus! omnis in illum
 Incumbet furor, at tandem delusus ab hoste
 Occidet infidiis. Summi moderator olympi,
 Nunc defende tuas, tua sunt oracula, leges.
 Hæc THOMAS; jamjam ipse suos præsentit honores,
 Fitque suus præco, & proprio canit ore triumphos
 Imprudens! melior, dixit, cadat hostia CHRISTO.
 Et quamquam exultans animi sibi prælia poscat,

Castigat tamen insolitos, & temperat æstus;
 Sed frustra. Per iter, dum curru invecus eodem
 Quo Stephanus, THOMAS, illis nam forte diebus
 Subjectos populos Præsul lustrabat & urbes,
 Ecce ruunt glomerati hostes THOMAMQUE reposcunt;
 An se proripiet, vel se moriturus in enses
 Sponte dabit? totum hunc ambire corona,
 Et gladios jactare, manusque in vulnera pronas.
 Tot focios inter, vitæ comitesque laboris
 Impetitur THOMAS, placet illis unica cædes.
 Carnificum quoties exceperat obuius ictus
 Præsulis ingeniosus amor, sed vincit amorem
 Bellantum furor, & puro se sanguine pascit.
 Proh dolor! Heroëm fodiunt, mactantque, recessus
 Vitales animæ rumpunt, cruor undique apertis
 Vulneribus salit: omnis eo circumflua turba
 Non sine luctifono ululatu, tincta rubebat:
 Stat tamen innumero sacra Hostia tuta sub ictu,
 Seque probat moriens, gaudetque impendere vitæ
 Reliquias tenues & amanti solvere CHRISTO;
 Hostibus obsequium, & pacem pro morte rependit;
 Tantum illis meliorem animum mentemque precatus.
 Accipe, si quis adhuc, dixit, tibi CHRISTE, cruorem,
 Hanc animam (Hæc toto properabat ad astra volatu.)

Sic litat emoriens: sacro si thurea dona
 Desint, compensant suspiria thuris honores;
 Et cœlum petit antevolans, terrisque relictis
 Ad Superos designat iter, tollitque natantes
 Ipsâ in morte oculos, & voto præripit astra.
 Tolleret & cum voce manus, sed sanguine fuso
 Paulatim abscedunt vires, corpûsque relinquunt.
 Hos inter strepitus, atque impia verba furentum,
 Vox Christum resonat, vox unica & ultima Christum,
 Nomine quo vires animosque in morte resumit
 Majores in luce moras optasset, opima
 Sæpius ut caderet repetitâ victima plagâ:
 Sed validum pectus telum perumpit, ibique
 Frangitur, invictus necquicquam viribus Heros.
 Ibat purpureum fosso de pectore flumen
 Per totos artus, cruor undique & undique vulnus.
 Hôc caput, hôc vestes, hôc faucia membra rubebant:
 Olli blanda tamen facies, ea gratia vultûs,
 Qualis mox fuerat, pulcro magis aucta cruore est;
 Pulcra cruentato visa est sub corpore virtus.
 Crediderim nostros dudum flevisse parentes
 Tam duros obitus, nos cætera turba Minores
 Projecti ad tumulum Cineres affamur amicos:
 Nam sanctos Cineres servat domus; aurea Tempa

Jamdudum exposcunt, Divûmq; merentur honores,
 Et mihi nescio quid nuper rumoris in aures
 Repit, & in hanc spem ravior SANTOLIUS, & jam
 Orator latios Proceres magno alloquor ore.
 Ostendam quales pro Relligione tuendâ
 Et quantos tulerit cœlo spectante labores:
 Dicam pro templis omnem effudisse cruorem,
 Hancque dedisse animam, quâ CHRISTO sæpe litabat,
 Perpetuis operans Sacris sine cæde Sacerdos;
 Utque ictum exciperet, nudasse in vulnera pectus.
 Adjiciam ut CHRISTO moriens superaverit hostes,
 Factorum testes tabulas, antiquaque scripta,
 Membranas veteres, & mille volumina pandam.
 Si Vaticanâ summus de Rupe Sacerdos
 Annuat oranti, & liceat celebrare quotannis
 Annua Sacra, tuos jam tùm dicemus honores,
 Ipse adero, & quamquam sacri jam Muneris expers
 Tunc aras de more, sacrata in veste Sacerdos,
 Pulpitaque ascendam, & manifesto numine plenus,
 Omnibus exponam populis ingentia facta.
 Tot proceres inter quos vexit ad æthera virtus,
 Purpureâ THOMAS redimitus tempora vittâ
 Et tyrio incedet chlamydem spectabilis ostro.
 Hunc aperire diem jam gestio, rite dicatum

Servabunt nostri per sæcula mille nepotes;
 Et meliore notâ fastos numerabitur inter
 Ille Dies, notus populis. Lustrabimus arva
 Quæ latè fufum quondam excepere cruorem,
 Atque omnem, caput imperii, lustrabimus Urbem;
 Cantibus alternis resonabunt undique colles,
 Et longum per iter, positi nos ordine longo,
 In manibus palmæ, omnesque in vestibus aureis,
 Ibimus ad tumulum, tumuloque addemus honores:
 Et tibi centum aras, totidemque è marmore templa
 Ponemus, precibus jam THOMA affuesce vocari:
 Et nostris, si forte cadant, ne defice rebus.
 Nos eadem domus, & communis regula vitæ,
 Nos tibi junxit, (adhuc Superi mortalia curant)
 Aspice nos, animisque potens illabere nostris;
 Scis quid opus, nos quanta premant, averte pericla;
 Scis Pater indomitos nostro sub pectore motus,
 Atque iras vatum indociles, fastusque superbos;
 Affer opem, medicamque manum, mea vincula rumpe,
 Rumpere Pater, densamque animo jam discute nubem.
 Me duce ter denos & viximus amplius annos,
 Te duce nunc vivam, da temnere gaudia vitæ,
 Terrenas & opes, & quidquid mentibus obstat,
 Fraudisque, invidiæque, & inanis nomina famæ;

Dediscamque hominem; supra da sidera tolli,
Ridebo curas hominum vanosque labores:
Tum mihi purpureos ambire licebit honores,
Et te sancte sequi tua per vestigia, THOMA.
Occumbam pariter, legesque arasque tuendo;
Hæc erit at nostro mihi purpura tincta cruore.

